A. A. 30. Julij 1649



VOTA, SEV MOTIVA REGIÆ AVDIENTIÆ PROCESSVS CVRATORIS PETRI MICHAELIS IOSEPHI ALEGRE.

SVPER INFANTIONIA, 1649.

IN DEI nomine. Nouerint vniuersi, quod die tricesimo mensis Iulij, anno Domini nostri IesuChristi millesimo sexcētesimo quadragesimo nono, in Ciuitate Cæsaraugustæ, & in Regio Consilio causarum Ciuilium præsentis Regni Aragonum interuenerunt Magnifici domini DD. D. Ioannes Chrysostomus de Exea Assessor ordinarius generalis Gubernationis, D. Hieronymus Torrero & Embun, D. Didacus Canales, D. Ioãnes Baptista Alegre, & D. Michael Perez de Nueros, Regij Consiliarij, coram quibus fuit positus processus intitulatus, processus *Petri Michaelis Iosephi Alegre minoris*, super Infantionia, in quo tres ex dictis dominis Regijs Consiliarijs concordes præmissa relatione facta per dictum dominum D. Didacum Canales Relatorē huius causæ fuerunt voti, & opinionis, quod *Attent. cont. &c. tenetur, & debet pronuntiare, & declarare litteras narratiuas ductas ad præsentem processum, & fide factas per Petrum Hieronymum Guindeo Procuratorem, sub die octauo mensis Martij, anni millesimi, sexcentesimi quadragesimi sexti, fore, & esse inserendas, & admittendas, prout per dictum Procuratorem supplicatur, non obstantibus in contrarium allegatis, & supplicatis per Braulium Mendieta Procuratorem, quæ locum non habent. Et cum hijs Petrum Michaelem Iosephum Alegre minorem, cuius nomine agit Braulius Mendieta, eius curator ad lites fore, & esse Infantionem, & debere gaudere omni-*

bus, & singulis priuilegijs, libertatibus, & immunitatibus, cæteris Infantionibus præsentis Regni Aragonum concessis, & indultis, neutram partium in expensis condemnando.

Ex eo autẽ, & aliàs pronuntiatur, provt in sententia, & dictum minorem Infantionem esse declaratur, quia ex deductis, & probatis per ipsius curatorẽ constat in Villa de Luna ab eo tempore, cuius initij memoria hominũ non existit fuisse, & esse Casale nobilitans, siue familiam Infantionum notoriorũ, sanguinis, & noti solaris de los Alegres, ab illoque oriundos à prædicto tempore omnibus, & singulis priuilegijs, cæteris Infantionibus concessis fuisse gauisos; in quo, nec dubium vnquam fuit, nec pars aduersa inficias ire visa est: rursus ab illa familia, & Casali originem duxisse dominumque illius fuisse Petrum Alegre, duosque habuisse filios Petrũ scilicet, & Ioannem probatum est, hunc Ioannem Petri illius filium, huiusque fratrem à dicta Villa de Luna, ad locum de Villarroya de los Pinares se cõtulisse, ibique constituisse domicilium cõtracto matrimonio, ex quo descendit minor eius asserit curator, & probasse sufficienter contendit: quod Fiscus Regius, & Dominus temporalis illius loci Commendatarius, scilicet Commendæ de Aliaga, Ordinis sancti Ioãnis Hierosolymitani, non solunt negãt, sed id fictitium fuisse, nec in hoc processu prabatum asserunt, probationesque omnes per curatorem factas, elisas, & eneruatas, omnino per contrarias validiores probationes affirmant; ex quorum inspectione huius causæ difficultas omnis, eiusque decisio totaliter dependet.

Veruntamen curatorẽ præfatum intentionem suam probasse apparet ex sequentibus, produxit, namque testes plures ad probandum dictum Ioãnem Alegre Petri filium, à Villa de Luna, ad locum de Villarroya se contulisse: ex quibus ferme omnes, præsertimq; tredecim optimè in eo contestantur cum omnibus circunstantijs, & qualitatibus à iure, & Doctoribus requisitis, vt testes de facto antiquo deponentes concludere, & plenè probare censeantur. Qui præterquam, quod optimè conueniunt inter se, duoque extrema adamusim coniungunt, aliqui, namque ex Villa de Lu-

Luna oriundi, ibi ſic ab antiquis audijſſe, famaque comprobatum eſſe; alij in dicto loco de Villarroya habitantes, ibi, ſimiliter à maioribus ſuis accepiſſe, & de eo famam extitiſſe, & ſtare aſſeuerant; adeo probatæ fidei, imò prorſus exceptione maiores exiſtunt, vt nec pars aduerſa aliquid vnquam ne minimum, quidem opponere contra eorum perſonas auſa ſit: quinimo licet hęc cauſa adeo neruosè, ne dicam peruicaciter, fuerit defenſa, vt ex proceſſu, eiuſque meritis deprehenditur, nec in cedulis, nec in allegationibus iuris, aliquid contra teſtium perſonas machinari auſi ſunt aduerſarij, quod multum mouere poteſt, & debet iudicantis animum ad credendum, ſic probos viros, vt aduerſariorum annuentia comprobatos eſſe meritò dici poſsit, veritate tantùm nixos, & iuramenti religione ductos, quod maiorum fama, & traditio introduxit, & ab illis habuerunt in ſuis dictis manifeſtaſſe, quę reliquorum etiam trium teſtium depoſitionem adminiculātur, nam licet illi deficiant in aliquibus ex requiſitis ad hoc, vt plenè concludere iudicentur non leuiter eo adiubare cenſuimus, videntes etiam ſecundum plurimum Doctorum ſen tentiam requiſita vnius teſtis de immemoriali, vel facto antiquo deponentis per dictum alterius ſimiliter defectuoſi ſuppleri debere, ita, vt ex vtriuſque dictis non ſufficientibus, vnum ſufficiens, & concludens conſletur, & conſtituatur.

Rurſus ad huius probationis tot teſtibus, & talibus factę corroborationem adduxit curator *tranſumptum ex Curia Iuſtitiæ Aragonum cuiuſdam teſtamenti*, quod dicit fuiſſe dicti Petri Alegre fratris dicti Ioannis, in quo Ioanni fratri ſuo in Loco de Villarroya viuenti, & habitanti legatum relinquit, illum executorem, ſiue ſpondalarium ſui teſtamenti eligit, incertũque caſum hæredi ſuo ſubſtituit: cuius teſtamenti, & tranſumpti fides *licet communiter male audiat* quale quale, tamen adminiculum ex illo reſultare videtur, ex rationibus, & motiuis, *quæ inferius expendentur*.

Secundo loco adduxit proteſtationis inſtrumentum exhibitum in proceſſu Thomæ Alegre, ſuper Infantionia in hac Regia Audiẽtia annis retro

tro elapsis habiti, de quo in pręsenti est facta fides per Regium Fiscum, quo enuntiatur Ioannem Alegre Mariæ Yzquierdo maritum, vti Infantionem protestasse, sibique, & posteris præcauisse, ne præiudicium generaretur, ex contributionibus, & alijs, tanquam hominis conditionis factis attento, quod ex Villa de Luna oriundum, & Petri Alegre Infantionis filium se esse asserebat, & probabat, cuius documenti cum in motiuis illius processus, longe, latèque sit mentio habita, *illique omnino denegata fides ex multis*, quæ sit in pręsenti ratio habenda *constabit; ex dicendis.*

Tertio loco, adduxit curator instrumentum venditionis, quo Maria Yzquierdo se viduam dicit Ioannis Alegre Infantionis, anno millesimo quingentesimo tricesimo sęptimo, quod instrumentum Michael Esteuan, Notarius Regius stipulatus est, & per ipsũ rogatum in publicam formam redactum exhibetur in eodem processu Thomæ Alegre, ex qua enunciatiua in re adeo antiqua licet vnica, non leue adminiculum resultat, nõ obstãte eo, quod opponitur emanasse à parte, de cuius agebatur interesse; respõdetur, namque non id verbum reputari concedentis, sed Notarij in illius persona loquentis, non enim, si à communiter accidentibus arguamus, videmus concedentem instrumentum, quodlibet se Infantionem, aut militem asserere; quando instrumentũ de contractu aliquo conficitur, sed in substantialibus eius consentiens, hæc accidentalia, & extrinsecas qualitates Notario instrumentum extendenti iuxta suam intelligentiam apponendas, omnino relinquit, Notarius ergo in eis locutus est non pars, quæ instrumentum concedit.

Nec similiter obstat; quod verbum illud *Infanzon* in notula prædictæ venditionis non reperitur, ex quo in processu iurisfirmę ThomęAlegre supplicatũ fuisse asserunt reparari instrumentum leuatum iuxta notam, & ab eo amoueri verbum illud *Infanzon*: Respondetur, namque primo, nec notam originalem, nec processum illum electionis iurisfirmæ fuisse exhibitos in præsenti, vnde sucedit vulgare dicteriũ, quod non sunt de mundo, deinde respondetur, potuisse Notarium rogatum qualitatem, quam ipse in nota non apposuit,

ſuit, tamquam illius dominum in ſe reuersũ in leuato adijcere, vt quotidie fieri videmus.

Nec ſimiliter obſtat, quod tertio contra hoc inſtrumentum opponitur de pluribus alijs exhibitis ab eiuſdem Notarij nota extractis, in quibus dum nominatur Ioannes Alegre, *Infantio* non ennuntiatur; nam reſpondetur ea fuiſſe in publicam formam redacta per Cõmiſſarios, & forſan diu poſt cõfectionem, quo tẽpore neſciebant ipſi Commiſſarij qualitatem illam concedentis, vt rogatus, vnde ab illis non fit argumentum alicuius cõſiderationis; pręterquam, quod nõ conſtat loqui, hęc inſtrumenta de eodem Ioanne, cuius illud meminit, cum qualitate Infantionis, de quorum ratione *inferius* latè agetur.

Ipſius etiam probationis à curatore factæ reſultãt, ex proceſſu alia adminicula non leuia, vt ſunt ex teſtibus Fiſci, quorum *vndecimus* ad ſextum articulum contraditorij aſſerit ſe audiuiſſe quartum auum probãtis à Villa de Luna deſcendere: & *ſextus* ad quintum famã eſſe in loco de Villarroya à decem, & ſeptem annis, citra, quod cognominati los *Alegres* dicti loci deſcendunt à Villa de Luna: & *ſeptimum*, & *quintum* ſe ſic audiuiſſe, qui contra producentem taliter probant, vt alteri parti maximo ſint adminiculo.

Acceditq; tractuũ, & cõmunicationũ probatio inter illos de Luna, & hos de Villarroya, cognominis de Alegre: in quo plures teſtes cõueniunt ſuper decimo tertio articulo cedulę curatoris, quod maxime veritatem probationis, ſic corroboratæ confirmare viſum eſt, & ex omnibus ſimul iunctis pleniſsimam coagulari probationem, ex eaque curatoris intẽtionem foridicè fundatam, & approbatam remanere.

Nec obſtat, quod pro parte Fiſci cõtra hãc obijcitur probationem, quæ ſic conſiderata, & teſtium dictis, & adminiculorum corroboratione munita plenè, & concludenter curatoris intentionem fundat irreffragabiliter, in loco, ſcilicet, de Villarroya extitiſſe, iam familiam de los Alegres, ante quam iuxta votum, & intentionem curatoris veniſſet à Villa de Luna Ioannes de Alegre, ex quo inferri, contendit illum non ex Villa de Luna, oriundum ad Locum de Villarroya ſe tranſtuliſſe, ſed potius in eo, iam antea com-

morasse, ad quod fundandum testium depositionibus, varijsque documentis, quæ ex scripturis publicis, & priuatis resultare asserit probari intendit, quod in contradictorio articulauerat ex loco, scilicet, de Balbona, venisse ad locum de Villarroya Ioannem Alegre patrem, adduxitque secũ tres filios masculos, *Ioannem*, scilicet *Franciscum*, & *Antonium*, filiamque *Catherinam*, hos omnes, ibi domicilium constituisse. Ioannem filium cõtraxisse matrimonium cum Maria Yzquierdo, Franciscum cum Ioanna Hortin, Antoniumque cum Catherina, siue Antonia Gascon, quod licet in articulis sine prefixione temporis dicatur ferire illud, quod Ioannem, è Villa de Luna venisse pars alia contendit; probant ex plurium instrumentorũ productione, quibus ennuntiatur ante illud tẽpus repertos fuisse in loco de Villarroya Ioannem Alegre, Franciscum, & Antonium, & signanter Ioannem cum nota designante filium fuisse alterius Ioannis, dicitur, namque Ioannes Alegre minor, quod si non euincit filium fuisse alterius Ioannis maioris, saltim videtur loqui de illo Ioãne, quem volunt venisse, è Villa de Luna, qui cum, vt curator asserit, venerit intenera adhuc ætate constitutus, verisimile est, vt illius minoris designatione comprehendatur, ex quo arguunt non ex Villa de Luna, sed ex loco de Balbona venisse.

Hoc vt probet pars Fisci, & Domini tẽporalis producit plures testes, quorum licet plures sint, *septẽ tantũ prima facie cõcludere videntur*, quorum tamen dicta si rectè perpendantur solum probant in loco de Villarroya se à maioribus audiuisse, qui dicebant ab alijs itidem maioribus se audiuisse dicentibus vidisse se, & cognouisse dictos Ioannem patrẽ, & tres filios præfatos, & in locum de Villarroya peruenisse, ex Villa de Balbona; quæ probatio, non solum, *ex quo testium numero adeo inferior*, sed potius, ex quo hi testes plures inter se patiuntur exceptiones taliter, quod nullus, vel sibi, vel socijs constet, vel quia aliqui, qui cognomento de Alegre vtuntur, modo se probantes consanguineos asserunt, modo negant, vel quia alij dicũt omnes illius cognominis de Alegre, qui in loco de Villarroya reperiuntur esse descẽden-

dentes ab illis de Balbona; quod pars Fiſci poſſuit, poſteaque ſe audiuiſſe fatentur aliquot eſſe, qui deſcendant à Villa de Luna, & aliquot ſunt, qui à loco de *Manzanera*, vel quia ſuper articulis quinto, & ſexto ſe à maioribus audiuiſſe affirment, qui dicebãt ſe etiam audiuiſſe ab alijs dicentibus ſe vidiſſe, & ſuper alio articulo, *nono* ſcilicet, reſpondent, nõ primos, nec ſecundos, nec tertios antiquos vidiſſe, quæ in eo articulo ponuntur, & poſsitis in quinto, & ſexto ſunt lõgè recentiora, vel quia dum maiores eoſdem nominant vnus, & alter non conueniunt in tempore, quo illos deceſsiſſe aſſeuerant, taliter, quod in viginti annorũ, & amplius ſpatio diſcordãt; parum inquam hæc probatio negotij facere viſa eſt, ex dictis, & ex quo dũ à Villa de Balbona illos veniſſe dicunt nullum teſtem, aut documentum ex illa Villa de Balbona producũt, quo probetur in dicta Villa aliquos extitiſſe huius nominis de Alegre, non potuerũt autem ex ea venire, quin antecedenter, ibi exiſterent, quæ res non parum inueroſimilitudinem intentionis Fiſci conuincere videtur. Accedit hos teſtes, vt ex eorum dictis, & contextura conſtat, non eſſe adeo probatæ opinionis, & famæ, vt aduerſus tam plenam probationẽ deponentibus fides ſit adhibenda infimæ, namq; plures conditionis ſe eſſe negare non poſſunt, & ex eorum dictis reſultat.

Nec obſtat, quod pro eadem parte tentatur cumulandos eſſe teſtes, qui in proceſſu Thomæ Alegre depoſſuerunt, & eos eſſe mortuos in hoc probatum eſt: nam præterquã, quod id maximè difficultate non caret, quod teſtes illi ſunt pro reproductis habendi cum depoſuerint in proceſſu, alio inter diuerſas perſonas facto ex eorum dictis vix aliquid præiuditij curatoris parti reſultat, nec quod teſtium in pręſenti proceſſu productorum dicta adminiculetur; quod autem de eis non ſit habenda ratio fundatur, nã ſententia illius proceſſus non potuit vtilata contra Thomã Alegre, eius conſobrino ex fratre filio nocere, licet in cauſa ſtatus lata, & quodammodo non perſonæ litigantis, ſed familiæ data, diuerſa, namque eſt perſo-

na; diſtinctiō namque illa à Doctoribus communiter recepta, in his Tribunalibus praxi, ſæpius comprobata eſt, quod ſcilicet in cauſa ſtatus lata ſententia proſit alijs cōſanguineis, non verò noceat, quod illis terminis melius explicatū reperimus, quod ſcilicet verbis affirmatiuis lata ſententia præiudicium alijs conſanguineis faciat; non ſic ſi verbis negatiuis concipiatur, ratio eſt, quia quando ſententia affirmat Infantionem exponentē eſſe declarat, quādo verò negat; id tantum dicit exponentem ſuam intentionem non probaſſe: vnde illius cōſanguinei iure dicere poſſunt, quod ille non probauit probabo; quod caſui noſtro rectè adaptatur; quo probato Caſali ſententia cōtra Thomam lata, ſolum defectu probationis incluſionis innixa eſt, quod illius conſobrinus ex fratre filius ſe rectius probatarum intendere potuit; vnde non nocēte ſententia, ſuccedit regula, quod nec poterūt nocere acta proceſſus, nec teſtes in eo recepti dicto minori quid; quod licet iungerētur quatuor horum teſtium dicta parum præiudicij facerent; nam contra hos, & illos conſideratio, adhuc viget, quam falcē ad radicem ponere in caſu noſtro viſum eſt, quod ſcilicet intētione actoris, ſic, vt dictum eſt ſtabilita, & exuberanti probatione fundata, non directo ipſi contraria probatio Fiſci opponitur; aſſerit curator Ioannem à Villa de Luna, in locum de Villarroya migraſſe, affirmant Fiſcus, & Dominus temporalis illius loci adfuiſſe eo tempore, & antea in loco de Villarroya Ioannem Alegre maiorem, quem patrem dicunt, & minorem, quē faciunt illius filium hoc certè, & ſi concludenter probaretur, neceſſario non euincit negationem aduentus illius Ioannis à Villa de Luna, quod præciſsè requirebatur, vt exponentis probatio contraria probatione eliſa, & eneruata redderetur: nam cum ſimul, hæc duo ſtare poſsint vnum aliud neceſſario non excludit.

Opponitur rurſus inveroſimile eſſe extantibus his in loco de Villarroya ex familia, & cognomine de los Alegres, quos è Villa de Balbona, inde propinqua veniſſe dicunt aſſerere, elonginquo ex Villa de Luna veniſſe Ioannem

nem

nem de Alegre; cui reſpondetur, id ſtante adeo plena probatione parum negotij facessere, cum ſæpè iuuenibus varijs ex cauſis id euenire ſoleat, naturali ductis propenſione vagandi, è paternis laribus exeuntibus; imò inuerosimilius eſſe patrem Ioannem cũ quatuor filijs, è Villa de Balbona in locum de Villarroya ſe contuliſſe, paternum avitoſque lares deſſerendo, nullis ibi ſedentibus bonis; aut conſanguineis relictis, aut amicis, ex quorũ tractatibus cõſeruari poſſet memoria adeo notabilis facti, ſi re vera id accidiſſet, quod, vt ſupradictum eſt fulcitur amplius, ex quo nullus teſtis ex Villa de Balbona, nullum documentum, aut ex libro Parochi, aut ex notis alicuius antiqui Notarij producitur, quibus hãc familiam, ibi, domiciliũ fouiſſe, aut inde exijſſe, vt par erat probetur.

Nec ſimiliter obſtat, quod opponitur hanc teſtium probationem adminiculatam reperiri aliquibus inſtrumentis exhibitis quibus in re tã antiqua, potius deferendum eſſe dicitur, quam teſtibus; illis, namque, vt dici ſolet lux veritatis aſsiſtit; nam antequam ad illorum ennumerationem, & ponderationem procedamus; reſpondetur, iuxta ſupra dicta, non iure tractari de adminiculanda probatione, quã nec contrariam alij diximus, nec per ſe ſic ſubſiſtere, vt adminicula in ea ſubiectum reperiant, cui accedant; ſed ad ſacietatem ſigillatim reſpondebitur.

Primo, itaque adducuntur litteræ narratiuæ ab Officiali Eccleſiaſtico Turulenſi emanatæ, quibus aſſeritur ad futuram rei memoriam, ibi; quemdam tertium allegaſſe aduentum, & matrimonia illorum de Balbona, & filiam illam Catherinam nuptam, cum quodã Blaſco procreaſſe filiam itidem Catherinam, Franciſcumque illius fratrem ex Ioanna Hortin coniuge procreaſſe Gabrielem, id probare volens duos tantum teſtes de fama deponentes produxit, quæ fuerunt acta anno milleſimo quingẽteſimo nonageſimo primo: quid inde eliciatur non apparet, præterquam, quod probatio illa adeo futilis eſt, & de tempore non multum antiquo, & ſine partis huius, aut alicuius alterius citatione, aut contradictione facta, quare de illa

ad propositum, nullã fore habendam rationem iure optimo existimauimus.

Adducitur, deinde testamentum Mariæ Yzquierdo, & ponderatur, ex eo probari Ioannem Alegre, eius virum fratrem fuisse illius Francisci, quem cum patre, & fratribus à Villa de Balbona venisse dicunt, ad quod expenditur clausula, qua liberationem legat Francisco, & eum nominando dicit: *Francisco Alegre, quondam, cuñado mio*: sed illa verba non probant necessario dictam fraternitatem, cum potuerit esse alias cognatus, quam eo quo fuerit frater Ioannis eius mariti, vnde succedit regula, quod non probat cum non concludat per necesse, & quamvis vrgeatur, quod Franciscum fuisse maritum Ioannæ Hortin probatum est, & videtur inde deduci, non aliter potuisse cognatum Mariæ Yzquierdo, quã quia mariti eius frater foret; Respondetur, itidem, non id adhuc per necesse concludere, vel, quia potuit Franciscus ante, vel post matrimonium cum Ioãna Hortin contractum ex alio cognatus esse dictæ Mariæ Yzquierdo, vel, quia non ille fuit Franciscus Alegre, qui contraxit cum Ioanna Hortin, de quo Maria loquitur, quod ante plures fuerint eo tempore Francisci eiusdem cognominis de Alegre, in loco de Villarroya manifeste apparet ex libro cõfraternitatis, procuratorio Ioãnæ Hortin, donationis instrumento, & alijs documentis productis in processu, vnde dubia admodum redditur hæc probatio, dum non constat de identitate illius Francisci, quod necessarium erat, vt infra dicemus.

Aliud similiter opponitur, in quo magna vis intentionis partis aduersæ videtur consistere, constare scilicet Ioannem Alegre, Mariæ Yzquierdo maritum fuisse exponentis ascendentem, illumque fuisse ex venientibus à Villa de Balbona, cui, vt respondeatur præmito curatorem non articulare in hoc processu tale matrimonium, sed tantummodo dicere, Ioannem ex legitima vxore procreasse Bartholomæum, & reliquos ascendentes postea ennumerasse; deinde Fiscum, & Dominum temporalem dicti loci, dum articularunt dictum matrimonium solum dixisse, Ioannem, qui contraxit cum dicta Maria

ria habuisse filium Bartholomæum, non verò reliquos illius descẽdentes ennumerasse in illis exponentem includendo; quibus posſitis respondetur pluralitatem personarum regulariter non prȩsumi, sed quando necessaria est, vt probationum cõtrarietas vitetur, vt in casu nostro limitatur dicta regula, quia nõ sic præsumpta pluralitate *necessarium foret alteram ex his probationibus falsam esse*, idque præsertim procedit quando præsumptio documentis ipsis innititur, vt in casu nostro, in quo plures eius nominis eodem tempore, & loco extitisse certum est, vt de Francisco Alegre supra tetigimus, & in Maria Yzquierdo, & Ioanne Alegre non *minus euidenter* probatur, si atendatur liber ille confraternitatis, in quo anno millesimo quingentesimo vndecimo mortuus ennuntiatur Ioannes Alegre, & sequenti millesimo quingentesimo decimo tertio in cõfratrem admittitur Ioannes Alegre, & rursus anno millesimo quingentesimo decimo quinto mortuus dictus est Ioannes Alegre, & anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo viduam se dicit Maria Yzquierdo Ioannis Alegre in procurationis instrumẽto præter alia plura, quæ exhibentur, itidem instrumenta ab anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, quibus nominatur sæpè Ioannes Alegre, nunc minor, nunc maior, & minor Mariæ coniux enuntiatur, & liber ille Parochi, quo in compatres nominantur Ioannes Alegre, & Maria Yzquierdo, neque hanc dicit viduam, quod cum fuerit actum anno millesimo quingentesimo vigesimo nono euincitur transijsse quinque supra quinquaginta annos à quo tempore ennuntiatur vxor Ioannis Alegre anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, ex quibus euincitur si non est imposſibile de vna, & eadem Maria Yzquierdo, hæc omnia ennũtiari saltim valde inverosimile esse, idemq; de Ioanne Alegre dicendum.

Nec obstabit si dicatur hanc posse præsumi pluralitatem, vt vitetur contrarietas testium ad effectum, vt ipsi de falsitate accusari non posſint, non verò, vt eorum dicta probent: nam respondetur supposita probatione curatoris sic plena, & concludenti, vt di-

dictum est taliter ex probatione contraria, & documentis exhibitis induci necessitatem præsumptionis pluralitatis, vt identitatis probatio sit fundamentum intentionis excipientis. Et contrariam probationẽ elidere tentantis, quæ cum non sit articulata, nec probata defecisse videntur in fundamento suæ intentionis Fiscus, & Dominus temporalis dicti Loci.

Nec, quod ex aduerso ponderatur de qualitate adiecta maioris, aut minoris in persona Ioannis Alegre aliquid obstare potest si animaduertatur adesse in processu duo instrumenta per cõuentos exhibita, alterum pacti in loco de Fortanet de anno millesimo quingentesimo decimo, in quo vnus ex paciscentibus dicitur Ioannes Alegre minor, alterum similiter, quo tempus quoddam conceditur Ioanni Alegre minori de anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, in quo vnus ex testibus similiter dicitur Ioannes Alegre minor, ex quibus licet, quod illis temporibus reperti fuerint Ioannes cum cognomento de Alegre, & quam futilis sit, & leuis præsumptionis, distinctionis, & diuersitatis, quæ ex adiectione illa *menor*, potest deduci, & in re adeo antiqua sic per varia documẽta obnubilata vix posse ex illis instrumentis veritatem elici quam indagamus.

Ex quibus elucet itidem responsio ad alia instrumenta, & adminicula ex aduerso producta, & ponderata, quæ resultant ex scripturis publicis, & priuatis, & partitis librorum exhibitis, quibus ex supradictis satis fit, nam in eis amplius immoramur, vt prolixitatis, & repetitionis tædium vitetur. Et ideo meritò certè, & in dubie curatoris probationi stãdum esse, quam non potest dubia, & incerta, nec est diametro cõtraria probatio elidere, aut in aliquo, sic dubiam rddere, vt prętendatur esse rem in eo statu, quo dici solet actore nõ probante reum, & si nihil præstiterit esse absolvendum; non enim sic accidit in præsenti, sed potius vt dictum est indubiæ, & certæ probationi contraria dubia, & incerta, in aliquo officere nõ potuit; & ita pronuntiandum, prout in sententia meritò censuimus. Ex his, *& alijs attent. cont.*

MOTIVO DE LOS DOS SEÑORES DEL REAL CONSEIO.

ET alteri duo domini de dicto Regio Consilio fuerũt voti, & opinionis (præmissa dicta relatione) *quod att. cont. &c. tenetur, & debet pronuntiare, & declarare litteras narratiuas ductas ad præsentem processum, & fide factas per Petrum Hieronymũ Guindeo Procuratorũ, sub die octauo mensis Martij, anni millesimi sexcentesimi quadragesimi sexti fore, & esse inserendas, & admittẽdas, vt per dictũ Procuratorẽ supplicatur, nõ obstantibus in cõtrariũ allegatis, & supplicatis per Brauliũ Mendieta Procuratorẽ, quæ locum nõ habent. Et cũ his Petrũ Michaelem Iosephũ Alegre pupilum, cuius nomine agit eius curator, non fore, nec esse Infantionẽ, nec debere gaudere priuilegijs, libertatib9, & imunitatibus, cæteris Infantionib9 præsẽtis Regni concessis, & indultis, neutrã partiũ in expensis condẽnando, cætera supplicata locum nõ habere.*

Ex eo præsertim, & alias declaratur Petrum Michaelem Iosephum Alegre pupilum Infantionem non esse, quoniam licet eius curator contẽderit per virilem sexum descendere à Petro Alegre Infantione Domino casalis, & Palatij antiqui militum, & Infantionum Villæ de Luna (de cuius nobilitate non dubitatur) dictumquẽ Petrum duos habuisse filios Petrum, & Ioannem, quorum alterum, nempe Ioãnem patrijs relictis laribus se contulisse in locum Villæ Rubeæ Baiuliæ de Aliaga præsentis Regni, ibique matrimonium contraxisse, & ex eo procreasse in filiũ Bartholomæum, tertium auũ pupili, *& hoc cum terdecim testibus de auditu* maiorum suorum deponentibus probauerit, tamen cum pro parte Procuratoris Regij Fiscij, nõ tantum cum vndecim testibus *septem huius* processus, & *quatuor processus* Licentiati Thomæ Alegre, super Infantionia, item de suorum maiorum auditu deponentibus, sed etiam documentis, & instrumeniis antiquis ostensum, & probatum sit, prædictum Ioannem, quartum auum pupili fuisse filium Ioannis Alegre, vicini Villæ de Balbona, qui cum tribus filijs masculis, & vnica filia, ẽ dicto loco de Balbona, vbi degebat se cõtulit in Villam Rubeam, nempè Ioanne, Francisco, An-

tonio,& Catherina,dictumq; Ioannem filium matrimoniũ contraxisse *cum Maria Yzquierdo* , & ex ea filium habuisse Bartholomæum, tertiũ auum pupili;ideo probationi Regij Fisci scripturis antiquis adminiculatæ , & roboratæ , *quibus lux assistit veritatis* , tamquam verosimiliori potius adhibendam fidem esse censemus, quam curatoris.

Nam prædictum Ioannem Alegre patrem dictorũ quatuor filiorum vicinum fuisse Villæ de Balbona , & dictos quatuor filios habuisse, provt nominantur supra clarè resultat , *ex litteris narratiuis* Curiæ Ecclesiasticæ Ciuitatis Turolij emanatis à processu Gasparis Alegre vicini Villæ Rubeę actitato,sub anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo,vbi dictusGaspar Alegre hoc allegato , & probato,atque tamquam descendens à Francisco Alegre, vno ex tribus fratribus erat proximior instituenti Capellaniam , nempè Catherinæ Blasco filiæ dictæ Catherinæ Alegre sororis dicti Francisci vnius ex dictis fratribus obtinuit sententiam fauorabilem ; *& declaratus fuit patronus* , quod valdè consonat cum probatione Regij Fisci, & cum fuerit id actum tempore, quo nullus erat rumor, nec suspitio præsentis litis non parvum præstat adminiculum.

Rursus corroboratur multùm dicta Regij Fisci probatio ex testamento *Mariæ Yzquierdo viduæ* Ioannis Alegre minoris condito , sub anno millesimo quingentesimo tricesimo sexto;in quo absoluendo *Franciscum Alegre* , iam mortuum , & suos successores à debitis,ex quibusdam compotis resultantibus vacat illũ affinem per hæc verba: *El honorable quondam Francisco Alegre,cuñado mio.* Quæ idem sonant , ac si appellasset Franciscum fratrem Ioannis Alegre viri sui , quod valdè adstringit ad conuincendum, & persuadendũ dictum Alegre, maritum Mariæ Yzquierdo habuisse fratrem Franciscum, vnum ex dictis tribus , quia manifeste pugnat cum aduentu prætenso per curatorem, scilicet Ioannis Alegre , è Villa de Luna ad locum de Villarrubia,quem absque fratre aliquo, & vnicum tantum appellitus, & cognominis de Alegre peruenisse articulatum,& probatum est pro eius parte.

His

His accedit, quod nullo modo apparet Petrum Alegre de Luna filiũ habuisse nominatum Franciscum, neque refert si obijciatur potuisse cõtingere affinẽ esse ex parte Mariæ Yzquierdo; nam diluitur facilimè ambiguitas, & difficultas, cum nõ tantum ex depositionibus dictorum testium, sed etiam ex quam pluribus instrumentis antiquis exhibitis resultat clarè vxorem dicti Francisci fuisse Ioãnam Hortin, quę cum non deferat cognomen de Yzquierdo, sed de Hortin, quod est omnino diuersum, patet fuisse diuersæ familiæ, & non sororem Mariæ, cum ex diuersitate cognominũ, diuersitas familiarum præsumatur, & licet potuisset vterinã sororem esse, id alleganti, incumbebat onus probandi: nam præsumptio stat, quod sit affinis ex parte mariti, propter identitatem nominis.

Accedat his, quod hæc Maria Yzquierdo, quæ condidit hoc testamentum, ex quo in eo nominat, *Gabrielem*, filium, simul cum Bartholomęo aparet fuisse quartam auiam pupili: nam Licentiatus Thomas Alegre *patruus* in cedula articulorum in vigesimo secundo, vigesimo septimo, & tricesimo primo, articulauit, & probauit ex matrimonio cõtracto cum Maria Yzquierdo Ioannem Alegre de Luna habuisse hos duos filios, Bartholomæum (à quo ille descendit) & Gabrielem, à quo descendit Gabriel Alegre, Canonicus Ecclesiæ Tirasonæ. Ex quibus resultat Ioannem Alegre auum pupili, habuisse fratrem nominatum Franciscũ quasi ex assertione consanguinei, & *patrui* pupili, qui tamquam de sua descendentia melius informatus censetur.

Præterea iuvari posse censetur dicta probatio Procuratoris Fisci cum eo, quod resultat ex duobus instrumentis testificatis sub anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, in loco Villærrubeæ: in quorum altero reperitur Ioannem Alegre fuisse in iudicio conuentum, & in altero testem adhibitum, & sic in illo tempore, & anno extitisse duos in dicto loco Ioannes Alegres minorem, & maiorem, cum minor necessario præsuponat, ad esse maiorem; & perconsequens ante tempus prætensi aduentus Ioannis Alegre de Luna

ar-

articulatum pro parte pupilli, quod est centum, & septuaginta annorum retro, quos alio non cōstito verosimilius est fuisse patrem, & filium, qui à loco de Balbona peruenerunt cum qualitate maioris, aut minoris ætatis potius cōueniat illis, quàm extraneo, qui alia diuersa qualitate distingui, & discerni potuit vti Ioannis Alegre de Luna, cum qualitate loci, vbi originem ducebat, vt frequenter fieri solet ad euitandam confusionem, nam cum ista qualitate minoris non distingueretur à filio Ioannis maioris, oriundus de Balbona, qui similiter minor erat, ac perconsequens indigebat alia demonstratione, atque ideo cum ea deficiat ne detur pluralitas personarū ex identitate nominis, cognominis, & qualitatis cōtra præsumptionem iuris censendum est vnicum fuisse Ioannē Alegre minorem maritum Marię Yzquierdo, & non duos, & hunc filium Ioannis Alegre maioris à loco de Balbona procedentis, & non à Petro Alegre de Luna, loco valde remoto, & separato, præsertim cum appareat Ioannem Alegre, maritum Mariæ Yzquierdo habuisse filium Bartholomæum, in quo partes conueniunt.

Quibus etiam valde consonat, ac vnius, & eiusdem familiæ esse dictos Ioānes de Alegre, minorem, & maiorem eodem tempore in dicto loco commorantes, quia illos constat, & eorum descendentes, absque vlla distinctione tanquam homines signi seruitij inseruisse officia Vniuersitatis dictę Villę, cōtributiones soluisse, & inter se tractasse tanquam descēdentes ab eodem stirpite ex parte appellitus, & cognominis de Alegre.

Neque alicuius considerationis esse censetur testamentum Petri Alegre de Luna transumptatum, ad corroborandam, & adminiculandam probationem pupilli, nā omissis, quæ pro parte Regij Fisci aduersus fidem, & veritatis transumpti præsumptionem obijcitur, & sententia lata in processu *Procuratoris Fiscalis* super illius comprobatione, in qua decernitur nullam esse habendam rationem de præfacto transumpto, donec testamentum originale exhibeatur, super quibus placuit iudicium nostrum non interponere, cum, & si exhiberetur originale, nulla ei fides adhibe-

beri valeat, cũ in se contineat maximam inverosimilitudinem, quæ dicitur imago falsitatis, nã quid inverosimilius excogitari potest, quam quod vnus frater suo fratri iã mortuo intra hoc Regnum, decẽ, & octo annis antea, vel saltim *septem* relinquat in suo testamento legatum quantitatis mille solidorum Iaccensium cum hac demonstratione, *que viue, y habita*, & nominet illum executorem testamenti, atque etiã substituat filio suo, si absque liberis decesserit? & quod testator ignorasset per tantum tempus mortem fratris legatarij, executoris, & substituti quem affirmat clarè, tunc tẽporis viuere, & habitare? hæc omnia reperiuntur, in hoc testamento transumptato, cuius calendarium est anni millesimi quingentesimi vigesimi noni & per librum Confatriæ Divę Mariæ maioris compulsatũ Villerrubeæ apparet minorem fuisse mortuum anno millesimo quingẽtesimo vndecimo, atque ita decem, & octo annis ante testamentum, & per alium instrumentum mandati concesi perMariam Yzquierdo, viduam Ioannis Alegre, sub anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo, saltim *septem* annis antea, quod inficiari non potest, magnam inducere inverosimilitudinem, ac imaginẽ falsitatis pręseferre, quod sufficere arbitramur iuxta DD. censuram, vt nulla ei fides adhiberi valeat.

Rursus non fouet probationem pupili *instrumentum protesti exhibitum*, in processu Thomæ Alegre, & si de dicto processu fuerit facta fides in pręsenti per Fiscum: nam cum in eo lata fuerit sententia per quam reprobatur dictum protestum, tamquam de falso suspectum, vt ex motiuis illius apparet, quę sunt pars sententiæ, & illa transiuit in rem iudicatam, quę pro veritate habetur in ciuile est, quod de prædicto instrumento protesti amplius posit haberi aliqua ratio.

Neque fouet intentionem curatoris, qualitas Infantionis posita in instrumento venditionis Marię Yzquierdo, anni millesimi quingentesimi tricesimi septimi, nam præterquam prolata fuit à persona suspecta, & interesse habente, nempè dicta Maria Yzquierdo, vidua Ioannis Alegre, fuit etiam prolata inter alios, & ad aliud, & licet esset à Nota-

rio ei nõ creditur, nisi de hijs, quæ rogatus est, nam quo ad alia est persona priuata, nec nisi de his, quæ vidit, & audiuit, & nobilitatis, & Infantioniæ qualitas inuisibilis est, & fantastica, & nisi aliquo signo demonstretur, quo distinguatur à plebeitate discerni non potest, at in dicto loco de Villarrubea, nec alibi non reperitur, quod dictus Ioãnes Alegre, maritus Mariæ Yzquierdo distingueretur in aliquo à plebeis; & hominibus signi seruitij, neque, quod reputaretur infantio, imò ille, & eius descendentes, numquam gauisos, vt tales fuisse, nec satis fit, quod in potestate Notarij sit pro maiori demõstratione personæ roganti instrumentũ adijcere eius qualitatem, nam licet id fateatur in ea, quæ fuerit notoria, ac publica qualis *est magistratus*, aut aliorum officiorum publicorũ, quæ inducunt notorietatem, non tamẽ Infantionię, quę in Regno nõ est notoria, sed imò contraria est iuris, ac fori præsumptio, cum nemo nascatur Infantio. Quibus accedit, quod dictus Ioannes Alegre cũ semper nominatus in omnibus instrumẽtis exhibitis reperitur cum demonstratione, & qualitate sola *honorabilis*, quod si esset Infantio, & pro tali haberetur pręsumendũ est, quod cum qualitate Infantionis adscriberetur; quæ proprior, & conformior erat, atque ita cũ vnica tantum vice reperiatur appellatus Infantio plus fidei tribuendum non est, quam tot vicibus, quibus sine ea nominatus reperitur, & à pluribus illius temporis, quare dicta enuntiatio, tum quia vnica, & prolata à persona suspecta inter alios, & ad aliud, tum quia à persona Notarij, nõ habente potestatem proferẽdi, cum in hoc pro persona priuata reputetur, nullius momenti indicatur.

Neque supradictis obstare censemus, quod obijcitur has duas probationes curatoris, & Fisci non esse directè contrarias, & simul stare posse nempè Ioannem Alegre maiorem, vicinum Villę de Balbona, cũ dictis tribus filijs, & vnica filia in locũ Villęrrubeæ peruenisse, atque eius filium Ioannem Alegre minorem contraxisse matrimonium cum Maria Yzquierdo, & ex ea suscepisse filium Bartholomęum, & quod eodem tempore alius Ioannes Alegre minor, è Villa de Luna se contulerit ad eũ dem

dem locum de Villarrubea, & nupserit cum Maria Yzquierdo, & similiter quod ex ea habuerit filiũ Bartholomæum, ac per consequens, quod licet probatio Fisci, adminiculata, & corroborata sit cum instrumentis antiquis, non excludit probationem curatoris.

Nam respondetur, quod licet de facto hoc nõ sit impossibile inficiari tamẽ nõ potest magnam habere inuerosimilitudinem, quod eodem tempore, & eodem loco duo extiterint Ioannes Alegre minores copulatos cum singulis Marijs Yzquierdo, & quod ex eis ambo habuerunt singulos filios vocatos Bartholomæos, quod sufficit, vt suspecta reddatur probatio curatoris, nam licet maiori numero testium fulciatur, ea tamen cum sit de auditu, & destituta reperiatur omni auxilio scripturarum antiquarum fragilis est, & de facili prosternitur, verosimili probatione Fisci, cui animus Iudicis se conformare debet; præsertim in rebus antiquis, quæ sunt difficilis probationis, nam etiam vltra scripturas antiquas corroboratur intentio Fisci, cum præsumptione iuris, quod vnus, & non plures præsumãtur contra iuris regulas.

Pæterea non etiam obstat, quod obijcitur scilicet fere omnes testes, quibus intentio Fisci probatur esse vicinos, & habitatores loci Vniuersitatis de Villarroya, qui simul cum Fisco in hoc processu interesse habet, & partem facit, nam satisfit asserendo, quod respectu interesse Fisci, testes Vniuersitatis habitum fuit pro indubitato hábiles, & idoneos testes esse, quia Fiscus æquè principale interesse habet diuersum, & separatum à iure Vniuersitatis propter ius marauetini, pedagij, & aliorum iurium regalium quæ sunt solum Domini Regis. At aliud est ius Vniuersitatis, nempè seruiendi officia illius, contribuendi, & alia onera ferendi, vt notum est, atque ita idem est, ac si quælibet dictarum partium distinctam cedulã contradictorij obtulisset, vltra quod in præsentiarũ apparet, quod licet citata fuerit Vniuersitas loci de Villarroya, non tamen pro eius parte oblata fuit cedula contradictorij, nec publicauit, sed solum pro parte Fisci, & Commendatoris de Aliagia.

Tandem neq; refert etiam quod obijcitur aduersus depositiones quatur testium, secundi,

di, noni, decimi noni, & vigesimi, processus *Licēciati Thomæ Alegre*, qui in eo in fauorem Fisci deposuerunt, & in hoc nō potuerunt reproduci propter eorū mortem nempè, quod ex quo sententia in eo lata non nocet pupilo, nec nocere posse dictas attestationes. Nam respondetur, quod licet sententia lata in eo processu non noceat pupilo non est, quia res fuerit inter alios acta, quæ est pèculiaris ratio, quare cui nō nocet sententia, siue acta processus, quia imò in eo representatiuè adesse, & litigasse pupilum, iuris interpretatione cēsetur, adeo quod dicta sententia, si confirmata foret in processu iurisfirmarum grauaminum factorum ex eisdem motiuis, & meritis primæ instantiæ, absque dubio noceret ei, cùm ius sanguinis, de quo in eo agebatur. Commune, & indiuiduum erat patruo Thomę Alegre, & suo nepoti Petro Iosepho Alegre, qui ab eodem stipite, & principio nempè à dicto Ioanne Alegre originem nobilitatis ducunt, sicut si fauorabilis esset sententia prodesse deberet, atque ideo cum dictas depositiones dicit nō posit fuisse receptas inter alios, sed inter easdē personas iuris interpretatione, cessat ratio, cur illæ non debeant prodesse Fisco, & nocere debeant pupilo. Neque quod sententia non noceat pupilo alicuius considerationis est, cū ratio sit diuersa, quę non influit in meritis processus primæ instantiæ nempè defectiua representatio actorum facta in processu electionis iurisfirmæ culpa Thomæ Alegre, quæ nocere non potuit suo nepoti, nec debet Fisco, qui sententiam reportauit, alias ex alteriusfacto damnum inferretur, quod ius non patitur; vltra quod cum versemur in antiquis in dubiū est semiplenam probationem facere, iuxta Doctorum censuram, his, & alijs atteñ. conteñ. &c.

Sig†num mei Ioannis Ægidij Caluete, Scribæ mandati Domini nostri Regis, ac Notario de numero Ciuitatis Cæsaraugustæ, qui huiusmodi vota, & motiua (per me recepta) à libro Regij Consilij causarum ciuilium præsentis Regni Aragonum, vbi continuata existunt bene, & fideliter comprobaui, extraxi, & in fidem, & testimonium veritatis meo solito signo signaui.